

Nicolaus Falkner


Specimen Observationum Juridicarum Inaugurale

Basiliae: Typis Joh. Henr. Decker, [1772]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn893341886>

Druck Freier  Zugang





V. K. — 1 (II.)



Andrea de Legato optionis.
 Bolt. Obs. jurid.
 Erhard. de Tabularis antiquis.
 Salxner. Obs. jurid.
 Joerster. de Donatt. ante nuptias.
 Geisler. de hyp. tac. ex causa Canonis emph.
 Gottschalk de Legato rei aliena.
~~Marstoldt.~~
 Hegelmeier ad Edictum Pii pro Christ.
 Gmuennau u. Aggallatou u. s.
 Kleiner. de Paschate Christianorum
 Eudmuau u. I. Ex Anastasiana.
 Lowenstern. de Contract. divisione.
 Marche. de Divortis
 Meier. de eo quod ipso jure fit.
 Meister. ad d. centum Capua.
 Müller. ^{de jure Separationis} ^{de testamento militari.}
 Pohl de Condict. lapsa perdati
 Püttmann. de vita dicini Rufini.
 Rau. ^{de testamento peregrinantium.} ^{de jure Papiriano.}
~~Reuten~~
 Sattler de causis Constitutt. Principum.
 Schnorr. de jure retentionis.
 Stevogt. de crimine abortus.
 Teucher. de natura interpretationis.
 Wagner. de servitute poena.
 Walch. de jure cred. mutata re oppign.
 Wasmuth. de Privilegiis.
 Weiso. de interitu jurium per nonusum



Q. D. O. M. F. F. F. Q. E. L.

SPECIMEN

14
OBSERVATIONUM
JURIDICARUM

INAUGURALE

QUOD

JUSSU ET AUCTORITATE AMPLISS. ICTOR. ORDINIS

IN ACADEMIA PATRIA

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI


SUBMITTIT

NICOLAUS FALKNER

BASILIENSIS


AD D. XVII. JULII MDCCLXXII.

H. L. Q. S.



B A S I L I A E

TYPIS JOH. HENR. DECKER, ACAD. TYPOGR.



L

Ad L. 15. §. fin. D. de usufr. & quemadm.



Quoties in §. ult. Legis 15. D. de usufr. & quemadmod. incido, non possum non mirari: qui fiat: ut plerique Interpretum ex hoc §. ridiculam adeo sententiam eliciant, dum putant: *proprietatis dominum nequidem consentiente usufructuario servitatem imponere posse*, cum tamen certo jure utamur: posse socium socio consentiente servitatem imponere fundo communi L. 11. D. de servit. praed. rust. & liberum sit, juri pro se introducto renunciare L. 29. ad fin. C. de pact. L. 4. §. 12. D. de except. dol. L. 14. §. 9. D. de aedil. edict. L. 21. 30. 41. D. de minor. L. 2. in fin. D. ad SCt. Turpillianum. L. 27. §. 4. D. de pact. L. 46. D. eod. quod & in fructuario specialiter constitutum est L. 64. D. h. t. & dummodo fructuarii conditio deterior non fiat, posse proprietarium servitatem constituere, verum sit L. 16. D. h. t.

Magis itaque ingenuos illos dixerim, qui, cum proprietatis dominum, consentiente licet fructuario, servitatem imponere haud posse, *ULPIANUM* asserere putarent, dixerunt: ejus juris rationem aut pervestigari omnino non posse, aut saltem esse scrupulosam; ideoque si de eo judicium hodie acciperetur, missis illis juris subtilitatibus, in foro contra illam pronun-

tiandum. At, dispiciamus, an non forte ULPIANO eadem sententia federit, quam illi in foro admittendam censent? Certum est: proprietatis dominum in re fructuaria nihil facere posse, quo deterior fructuarii fiat conditio; cum autem id eveniat, quando rei fructuariae servitus imponitur, tanquam confectarium inde fluere videtur: proprietatis dominum servitutem ei rei imponere haud posse. Verum, ut omnis definitio in jure est periculosa, parumque sit quod non subverti possit, L. 202. D. de reg. jur. aliqua nimirum exceptione; ita & haecce officium suum perdit, si imposita servitute fructuarii deterior non fiat conditio. Hoc enim solum spectari: an proprietatis dominus fructuarii conditionem deteriorem reddat, vel minus? ULPIANUS LL. 15. 16. 17. §. 1. D. h. t. plus manifesto ostendit. Quod si itaque per servitutis impositionem fructuarii deterior non reddatur conditio, aut & ipse consenserit, recte videtur imposita servitus, licet tum forsitan servitus eum incommodet, quia consensus illius efficit: ut si quod damnum sentit, id non videatur ipse damnum sentire, L. 203. D. de reg. jur. L. 40. §. 5. D. de procurat. L. 55. D. de eviction. L. 29. §. 1. D. de mandat. L. 52. §. 1. D. ad L. Aquil. Regula atque exceptio, ut dixi, in d. L. 15. §. ult. & L. 16. D. de usufr. Et quemad. proponitur, verba haec sunt: *Sed nec servitutem imponere fundo potest proprietarius, nec amittere servitutem*; sequitur exceptio: *proprietatis dominus nequidem consentiente fructuario servitutem imponere potest.* Subjungitur L. 16. *nisi qua deterior fructuarii conditio non fiat, veluti si talem servitutem vicino concesserit: jus sibi non esse altius tollere.* Ait ULPIANUS: proprietatis dominum, ne consentiente quidem (i. e. licet non consentiat) fructuario, fundo servitutem imponere posse, addit L. 16. ex PAULLO, nisi eam tamen, per quam fructuarii conditio non fiat deterior.

Sunt qui pro *nequidem* legunt *necquidem*, prorsus praeter necessitatem. Ipse, cum REINOLDO, ULPIANUM scripsisse arbitror: proprietatis dominus fundo servitutem, fructuario invito, imponere non potest: nisi qua deterior ejus conditio non fiat; eam etiam Ictorum mentem fuisse jam supra per L. 16. h. t. ostendit.



offendimus. Patet tum & inde, quod absurdum sit dicere: proprietatis dominum fundo imponere servitutem non posse, licet consentiat fructuarius, excepta specie, ubi ex imposita servitute, ipse passurus haud est detrimentum; ejusmodi quippe exceptio stulta foret, cum is, qui juri suo renunciat, non queat videri damnum pati. Praeterea, quis in ea specie quam PAULLUS ponit, fructuarii consensum requisiverit? quid fructuario, per talem servitutem in L. 16. h. t. vicino, a proprietatis domino concessam, decedit? ad quid ergo ejus desiderabitur consensus? Certe hunc nec ULPIANUM nec PAULLUM exegisse videntur.

II.

Ad L. 1. §. 1. 2. 3. 4. D. depositi.

Praetor ait in hac Lege: *quod neque tumultus, neque incendii, neque ruinae, neque naufragii causa depositum sit, in simplum, ex earum autem rerum, quae supra comprehensae sunt, in ipsum, i. e. apud quem depositum sit, in duplum, in haereditate ejus, quod dolo malo ejus factum esse dicitur, qui mortuus sit, in simplum: quod ipsius, in duplum, judicium dabo.*

Depositarius infidelis, nonnisi in simplum rei tenetur depositae; Dominus enim cum ex voluntate fidem elegit, nec depositum redditur, contentus esse debet simpli: L. 1. §. 4. D. depos. quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed suae facilitati id imputare debet, §. 3. J. quib. mod. re cont. oblig. Quod si rerum circumstantiae nullam admitterent deliberationem, periculumque in mora esset, ut e. g. si quis deliberando res suas periculo committeret, imminente incendio, ruina vel naufragio pereundi, tunc extante necessitate deponit; crescit perfidiae crimen, consequenter & poena criminis, & publica utilitas coercenda est, vindicandae rei publicae causa. L. 1. §. 4. in fin. D. h. t.

Ingens de vera horum verborum Lectione & Interpretatione inter ipsos Artis nostrae Principes ortum fuit certamen. Vulgata sic eam exprimit: *publica utilitate coercendum est* &c.

ut refert GOTHOFREDUS in not. ad hunc S. HALOANDER: *publica utilitas coërcendo vindicanda.* CUJACIUM L. 16. Obs. c. 29. & in *Comment. ad L. 2. C. de fide & jur. hast. fisc.* pro utilitas legere inutilitas, ab eaque correctione FABRUM in *rational. ad h. L.* non esse alienum, narrat Cel. VAN DE WATTER in *suis Jur. rom. Observ.* L. 1. c. 3. ubi etiam aliam, eamque plane novam, ICTi caeterum haud indocti, ARIAS DE MESA Hispani, Lectionem explodit, pro *utilitas* legens *vilitas*: & ne taedio sit longa diversarum opinionum recensione, suam etiam de hoc loco jungit conjecturam, & sic legit: *cum vero extante necessitate deponit, crescit perfidiae crimen, ob publicam utilitatem (vel ex publica utilitate) coërcendum & vindicandum rei publicae causa.* Mallem ego vel nihil in Lectione priori immutare, vel ita legere: *& publica utilitas coërcenda & vindicanda reipublicae causa scil. est & coërcere interpretari per conservare, custodire, quo sensu hac voce PLINIUS utitur Hist. nat. L. 10. c. 50. Ex eo caepimus carcere animalia coërcere, quibus rerum natura caelum adsignaverat.* & CAJUS in L. 3. §. 2. D. de adq. rer. dom.

Ad alteram pergo hujus Legis partem: *Est enim inutile in causis hujusmodi (i. e. quando tempus vel locus non patitur plenus deliberandi consilium L. 1. ad fin. pr. D. de exercit. act.) fidem frangere;* & tunc ejusmodi Depositarius infidelis ad duplum tenetur; Hic fuit sapientissimus agendi mos a Legislatoribus prudentibus adhibitus, delicto vel dolo in contractu commisso, ultra simplum tanquam verum rei pretium concedere alterum simplum, duplum, triplum, vel multam poenamve arbitriam velut in poenam criminis, ut hac via etiam reipublicae, quae delictis maxime laeditur, satisfiat, quod optime docet PAULLUS L. 9. §. 5. D. de Public. & Vectigal. his verbis: *alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor disciplinae publicae postulat, nam poenas ob maleficia solvi, magna ratio suadet, L. 70. §. 5. D. de fidej. & mandat. cum non remitti poenam facile, publice interfit, ne ad maleficia temere quisquam prosiliat, L. 14. C. de poenis. expedit enim timere -- poenam, L. 27. §. 4. D. de pact. junct. L. 51. §. 2. D. ad L. Aquil.*

Caete-

Caeterum an hic cum HALOANDRO pro inutile legendum *in-civile*? vel cum DION. GOTHOFREDO inutile explicandum *iniquum, perniciosum, inhonestum & grave, ut in L. 1. pr. D. de pecun. constit. sine ratione, uti equidem nobis videtur, ambigitur, cum Lectio Florentina per L. 12. §. 1. D. de adm. & per. tut. & L. 47. §. 1. D. de jur. fisci. firmetur, ubi vox inutile pro noxio, pernicioso, quae significatio hic loci apprime quadrat, usurpatur, id quod jam DUARENUS suboluisse videtur, dum L. 1. Disp. amivers. c. 11, ait: *Sicut inimicus non is tantum vocatur, qui amicus & benevolus non sit, sed etiam malevolus: ita inutile non id modo significare, quod non profit, sed etiam quod noceat: teste CIC. in Orat. Partit. quo sensu etiam saepe veteres Auctores, qui de medicina latine scripserint, usos fuisse probat ex PLIN. H. N. L. 21. c. 20. & CELSO L. 10. c. 2. & 5.**

III.

Ad L. 78. D. de contrah. emt.

Varia variorum de h. L. extant judicia; frumenta quae in herbis erant cum vendidisses, dixisti: *ite si quid vi aut tempestate factum esset, praestaturum. Ea frumenta nives corruperunt; si immoderatae fuerunt & contra consuetudinem tempestatis: agi tecum ex emto poterit.* De Casibus fortuitis hic agi, nemo non videt. In proprio sensu & communi juris usu, *Casus fortuitus est Eventus qui consilio humano non praevideri & adversus quem caveri non potest, L. 2. §. 7. D. de adm. rer. ad civ. pert. junct. L. 6. C. de pign. act. L. 4. C. de per. tut. ita ut cuius patrifamilias etiam diligentissimo contingere queat, L. 11. §. 5. D. de minor. Hujusmodi casus Leges nostrae vocant: fortunae insidias L. ult. §. 1. C. de tempor. & reparat. appell. vim magnam L. 2. §. 1. in fin. D. de per. & comm. rei vend. vim majorem, quam Graeci *ἰσχυρὸν ἄτυχον* i. e. vim divinam, adpellant, L. 25. §. 6. L. 36. D. Loc. Cond. L. 3. §. 1. ad fin. D. naut. caup. L. 24. §. 4. de dam. inf. casus majores quibus humana infirmitas resistere nequit L. 1. §. 4. D. de O. & A. L. 18. pr. D. commodat. L. 15. §. 2. D. Loc. L. 28. C. eod. Casus non voluntarios sed fortuitos L. 4. C. de Inst. & Substitut. Impro-*

vifos

vifos L. 13. C. *mand. fatales* L. 5. C. *de appell.* fatum quod patri-
familias quamvis diligentissimo potest contingere d. L. 18. §. 5. D.
de minor. fatale damnum L. 2. §. 1. *in fin.* D. *de per. & comm. rei*
vend. L. 5. §. 4. *in fin.* D. *commodat.* Inter species vero Ca-
suum fortuitorum in *dd. LL.* referuntur: *vis tempestatis cala-*
mitosae, nix immodica, maris, fluminum, graculorum, sturno-
rum, si uredo fructus oleae corruperit, solis fervor non consue-
tus, & cum edaci Locustarum pernicie, sterilitatis vicium inter-
cessit, terrae motus, chasmata, labes, ventorum violentia, rui-
nae, naufragia, incendia repentina, e. g. ex fulmine orta; prae-
donum, piratarum, latronum hostiumve incurfus, mortes servo-
rum & animalium sine culpa & dolo contingentes, fugas seravorum
qui custodiri non solent, rapinae, tumultus, L. 23. in fin. D.
de reg. jur.

Videamus nunc num Legem fronti istius §. praefixam
a superflua nonnullorum emendatione vindicare atque enodare
queamus? Fuere qui existimarunt: Lectionem quae vulgo
perhibetur & quam supra dedimus, sanam neutiquam admit-
tere interpretationem. Casus Legis hic videtur: frumenta
quae in herbis erant aliquis vendidit: promisit si quid vi aut
tempestate factum esset, se praestaturum. Nives frumenta ea
corruperunt: quid juris, aut quid ille praestabit? Distinguen-
dum ait Ictus & videndum, an nives illae immoderatae fuerint?
si immoderatae fuerint & contra consuetudinem tempestatis, agi
tecum ex emto poterit, qui dixisti: te si quid vi aut tempestate
factum esset praestaturum. Hoc responsum cum specie ac the-
mate pacti in venditione interpositi constare ac congruere posse
negat SALMASIUS, num recte? mox videbimus. Promisit ven-
ditor se praestaturum si quid vi aut tempestate factum, i. e. no-
citurum esset illis frumentis: corrupta sunt nivibus: si contra
tempestatis consuetudinem fuere illae nives, ut in *d. L.* dicitur,
nihil debet praestare venditor, qui, si quid tempestate factum
esset damni, praestaturum se promisit; hoc enim quod contra
tempestatis consuetudinem contingit, non est tempestas. At
rursus: si immoderatae nives fuere, tempestati oportet fuisse
affines;

affines; de moderatis enim non immoderatis hoc dici con-
venit, contra consuetudinem tempestatis eas esse. An ergo
(inquit) legendum: *si moderatae fuerint eo contra consuetudinem
tempestatis?* sed tunc addenda esset negatio in sequentibus, *agi
tecum ex emto non poterit.* Nullum dubium esse ait quin opti-
ma eaque verissima ex hac scriptura oriretur sententia, nisi na-
turalis huic emendationi obstaret observatio, qua certum sit:
nives moderatas frugibus non tantum non nocere, quin po-
tius Sata ab his per hiemem conservari: contrarium de im-
modicis. HERALDUS levicula emendatione germanam hujus Legis
se restituisse sententiam putavit, quando pro *si* legeret *etsi*;
quae quidem Lectio non sine ratione a SALMASIO, tanquam
inepta rejicitur. Num vero & Ipse in hujus Legis emendatione,
feliciori successu operam navaverit, an vero quod HERALDO
praedicat vitium id sibi sit? videamus: Intricatam hujus dicit
Legis sententiam, & ut vulgo concepta sit, ejus verba menti
Authoris contraria quaeque nulla ratione subsistere posse autu-
mat. In h. L. venditor vim & tempestatem praestaturum dixit:
deinde in ipsa Lege dicitur: si nivibus corrupta frumenta fue-
rint, quae contra tempestatis acciderint consuetudinem, ex
emto teneri. Atqui tempestas, insolitus est casus: qui contra
tempestatis consuetudinem evenit, casus solitus dici debet.
Ergo tenetur de communiter contingentibus, qui casum fortui-
tum in se suscepit. Hanc (inquit Salmasius) absurditatem
καὶ ἀλογίαν peperit vulgata hujus Legis scriptura. Vidimus
quomodo hac sese HERALDUS expedierit cura, levicula scil.
emendatione; SALMASIUS, cui

Lupis & Agnis quanta sortito obtigit

cum illo erat discordia, nec etiam in hoc Heraldus assentire
voluit, sed alia via ex istis turbis se evolvere affectavit, sua
(Heraldi) levicula leviori, unius nimirum Litterae, muta-
tione, & ita legendum suadet: *si nives immoderatae fuerunt &
contra consuetudinem tempestates.* Emendat, ut putat SALMASIUS,
ut ego censeo corrumpit, & uterque fluctus in simpulo exci-
tare, nodumque in scirpo quaerere videtur, cum nulla plane

B

d. l.

d. l. indigeat correctione , sed tantum in hoc , ut opinor , cardo negotii vertatur : quod vox tempestas priori loco sumitur pro tempestate adversa i. e. Ungewitter. V. PLAUT. Mostel. Act. I. Sc. 2. v. 27.

*Atque illud saepe fit , tempestas venit.
Confringit tegulas , imbricesque.*

PLIN. *Hist. nat. L. 18. c. 69. Ante omnia autem duo genera caelestis injuriae meminisse debemus : unum quod tempestates vocamus , in quibus grandines , procellae , caeteraque similia intelliguntur : quae quum acciderint , vis major appellatur. CIC. III. de Nat. Deor. Imbres , Nimbi , procellae , turbines , reliquaeque tempestates. Altero autem Loco pro Anni tempore die Jahreszeit. Gal. la Saison.*

IV.

Ad L. I. pr. D. de curat. furios.

Eum demum jure civili Prodigum habitum fuisse constat , cui Praetor , causa cognita , bonorum ademit administrationem , formula quam nobis servavit Paulus *Recept. sentent. L. 3. c. 4. QUANDO TIBI BONA PATERNA AVITAEQUE NEQUITIA TUA DISPERDIS , LIBEROSQUE TUOS AD EGESTATEM PERDUCIS : OB EAM REM TIBI EA RE COMMERCIOQUE INTERDICO. V. L. I. D. de curat. furios.* Illud autem non aequè certum est , an , quemadmodum sine *causae cognitione plenissima* , (ita enim in L. 6. D. de curat. furios. utique legendum censent) & decreto , Bonorum administratio non aufertur , ita etiam Decreto opus sit , quo , cui hactenus Bonis interdictum fuerat , earundem recuperet administrationem ? Plerique Decreto opus esse negant , sed quamprimum ille sanos mores receperit , ipso jure desinere esse in potestate Curatorum per L. I. in fin. pr. D. de curat. furios. Sed cum aequè incertum sit , an is , qui semel perditis moribus sese imbuit , ad frugalitatem redierit , quam quidem incertum est , num quis in Luxuriam sese egerit praecipitem : & num hic hunc vel illum Habitum acquisiverit ? in facto consistat , & quidem tali , quod mutationem & aestimationem ex variè recipit circumstantiis , adeo ut &

pru-

prudentissimos fallere queat arg. L. 32. pr. D. *de usuris*. tum quoque Prodigus fanos mores simulare possit, praecipue cum bonis ademptis non sit unde gulae indulgeat? ratio eadem, quae movet, ut, cui demum causa cognita Bonis interdicitur, suadere mihi videtur: ut ei quoque nonnisi causa cognita eorundem administratio restituatur: *cum nihil sit tam naturale quam eo genere quid vis dissolvere quo colligatum est* L. 35. L. 100. L. 153. D. *de reg. jur.* & *omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvatur* c. 1. X. *de reg. jur.* L. 80. D. *de solut.* L. 46. D. *de A. vel A. P.* L. 1. C. *quando liceat ab emt. reced.* unde inferre mihi liceat: quod si ad actum aliquem ineundum certa requiratur solennitas, eadem etiam adhibenda sit in actu tollendo. Arg. L. 8. D. *de A. vel A. P.*

V.

Ad L. 5. in fin. D. *de separat.*

Recte animadvertit SALMASIUS in suis ad *Jus Att. & Rom.* Observationibus c. 18. HERALDUM male ex L. 5. D. *in fin. de separat.* abjecisse verba: *Et quasi defuncti bona vendiderunt*, tanquam monstrum interpretationis ab inepto Interprete, qui forte de sectionibus aliquid inaudierat, atque ita *secuti sunt* interpretari voluerit, *vendiderunt*, protrusum. Substituit SALMASIUS: *cum enim separationem petierunt, recesserunt a persona Et bona secuti sunt: Et quia bona defuncti vendiderunt, quae augmenta non possunt recipere.* Minimam quamvis haec prae se ferat emendatio mutationem, mihi tamen nondum probatur; Si enim hanc Lectionem sequaris, mutilabitur sermo, aut & particulam *quia* abjicias oportebit: Tum vox *haeredis* exturbari posse non videtur, ut Casus id demonstrat: Sejus multis Creditoribus obstrictus moritur: ei vel ex testamento vel ab intestato succedit Titius multis non minus obligatus. Hereditate adita Titius etiam Seji Creditoribus obligatur. Utrique, Seji & Titii Creditores sibi satisfieri postulant; Seji Creditores, si sibi con-

currendum sit cum Creditoribus Titii, de Credito sibi metuunt. Petunt ergo separari a Bonis Titii Bona Seji. Praetor rogatus, id illis beneficii indulget & ut haec solis Creditoribus hereditariis relinquerentur statuit L. 1. §. 1. D. *de separat.* Titius interim adhuc aliquid acquirit, quaeritur, id, num hujus cedat Creditoribus, an Seji? respondet PAULLUS: id quaesitum esse aut ex hereditate Seji, aut alia ex causa. Priori casu id Creditoribus Seji tribuendum, posteriore Titii. Amplius disquiritur: si ex eo quod Titius ex alia causa quam ex hereditate Seji acquisivit, Titii Creditoribus factum sit satis, hique solidum sint consecuti, num quod superat, Seji Creditoribus sit tribuendum? ait Paullus: existimare id quosdam v. L. 3. §. ult. D. *h. t.* sibi vero id non videri; quia Creditores hereditarii, electa semel bonorum separatione, *recesserint a persona haeredis, & bona hereditaria secuti sint*, i. e. ut loquitur ULPIANUS in L. 1. §. 17. D. *h. t. maluerunt sibi separari*, haecque *vendiderint* non quasi haeredis, sed *quasi defuncti*. Patet itaque Paullum dicere: Creditores Seji missam fecisse personam Titii haeredis, & se Defuncti tantum Creditores professos, cujus bona cum vendidissent, ea augmentum recipere amplius haud posse. Ait SALMASIUS verbis *quasi defuncti* mendum obhaerere, ego negaverim; Necessaria quippe erat particula *quasi*, quia adita hereditate bona defuncti revera facta sunt haeredis, cujus etiam nomine venire debuerunt: quia tamen Creditores Seji Bonorum impetrarunt separationem, & a persona heredis recesserunt, dici possunt: *quasi defuncti bona* quae tamen jam erant haeredis, vendidisse. Praeterea cum sequi de personarum fide & obligatione potius dicatur, quam de corporibus innominatis, idcirco forte addidit Paullus particulam *quasi*: dein quia bona improprie vocantur defuncti, cum defunctus bona habere non possit, quemadmodum recte adnotavit GOTHOFREDUS ad L. C. *in notis ad h. l.* particulam *quasi* forte adjecit.

Non minus ergo male SALMASIUS quam HERALDUS *d. L. 5. de separ.* sollicitavit. Illud caeterum ex L. 1. §. 17. D. *h. t.*
con-

constat: quam PAULLUS tuetur sententiam, frequentiore calculo fuisse probatam.

VI.

Ad L. 6. §. ult. D. ad L. Jul. Pecul.

Si quis ex Metallis Caesarianis aurum argentumve furatus fuerit, ex Edicto Divi Pii exilio vel metallo, prout dignitas personae, punitur. Is autem qui furanti sinum praebuit perinde habetur ac si manifesti furti condemnatus esset, & famosus efficitur &c.

Qui furanti sinum praebuit, ita habent Pandectae Florentinae quibuscum consentire videntur graeci Lib. 60. βασιλικῶν cit. 45. ὁ δὲ τὸ παρ' ἑτέρου κλαπὲν ὑποδέξαμενος: qui vero ab alio surreptum suscipit. Hanc Lectionem sequi omnes fere Interpretes, sed in ea explicanda fortiter inter se digladiari, animadvertit Cel. VAN DE WATER. Sunt e. g. GOTHOFREDUS, in not. ad h. L. quibus sinum praebuit videtur designare occultatorem quendam, qui partem vestimenti laxiorem, quae in humerum rejici solebat, pecuniae reive alterius suscipiendae gratia atque in occulto habendae furi accommodat, cum sinus sit pars Togae v. TURNEB. L. 7. Animadvers. c. 7. PETRUS FABER Semeistr. c. 22. fol. 239. LIV. L. 1. de Bello punico 21. 18. de Romanorum Legatis, Carthaginensibus bellum indicentibus, de inferiore Togae sinu: tum romanus sinu ex toga facto: hic, inquit, vobis Bellum atque pacem portamus: utrum placet sumite. Illi haud minus ferociter, daret utrum vellet, succlamatum est: & cum is iterum sinu effuso bellum dare dixisset, accipere se omnes responderunt. Sinum ex toga facere, est extremas togae oras ita contrahere ut in medio sinus, i. e. capacitas quaedam relinquatur. Cl. VAN DE WATER, de iis hic agi suspicatus, qui nummos signant adulterinos, ex auro argentove ex fodinis Imperatoris metall. furato, HALOANDER, & VULGATA ACCURSII, pro sinum substituit signum, ingeniose quidem, sed ut nobis videtur, non modo absque necessitate, sed minus omnino adaequate. Monetarius enim, qui nummos adulterinos con-

turo, Signum seu Typum nummarium praerberet, falsi potius crimine teneretur L. 9. pr. & §. 1. D. de L. Cornel. de fals. nihil itaque in Lectione Florentina immutandum; manifestum quippe est, ULPIANUM hic de eo loqui qui furantem furtum ve recepit, ipsique securitatem praestitit; & hoc sensu accepit, ut supra jam monuimus GOTHOFREDUS v. L. 12. C. ad L. Fab. de plagiar.

VII.

Ad L. 4. §. 8. D. de re milit.

Arrius Menander, ex cujus de re militari Libris complura in Pandectas relata sunt capita, in L. 4. §. 8. D. de re milit. ait: *Non omnis qui Litem habuit, & ideo militaverit exauctorari jubetur: sed qui eo animo militiae se dedit, ut sub obtentu militiae praetiosorem se adversario faceret: nec tamen facile indulgendum est extra ordinem judicationis, qui negotium ante habuerunt: sed si in transactione recidit, indulgendum est.* De eo sermo est qui nomen militiae dedit, quod Litem haberet, ut favorabiliorem Litis nancisceretur exitum, propter privilegia militibus concessa, quae multis etiam memorat JUVENALIS *Sat. ult.* (quam tamen plerique Juvenali abjudicant) quae legenda est tota scire aventi: qualis quantusque militum fuerit favor, gratia, privilegia quanta, & quanta denique Praerogativa militis qui negotium haberet cum Privato; Si igitur quis, cum Litem haberet, militiae se dederit ultro, tantum *ut sub obtentu militiae, praetiosorem se adversario faceret, exauctorare* (i. e. eo sacramento, quo antea militiae se dantes quodammodo auctorati fuere solvere & dimittere) eum jubet seu militia remove & castris ejicere, ut ipse interpretatur in L. 20. pr. D. de Lib. caus. quod per insignia militaria detrahere exponit ULP. in L. 2. §. 2. D. de his qui not. inf. sic intellige L. 4. §. 8. & L. 7. D. h. t. quae in simplici milite ipsa Arma fuisse existimant; arma enim primum, deinde Sagulum deponere jussos, patet ex formula Exauctorationis, quam tradit LAMPRID. in *Alex. c. 52.* *Qui-rites discedite atque arma deponite.* SUET. in *Vitellio c. 10. n. 2.*
Quid-

Quidquid praetorianarum Cohortium fuit: uno ex auctoravit Edicto
 iussus Tribunis tradere arma; in Praefectis vero & militum Du-
 cibus, praeter arma, Signorum ademptionem, cujusmodi varia
 refert Veget L. III. de re mil. HEROD. L. 2. c. 13. His impera-
 tis, e vestigio milites Illyrici concurrunt, brevesque illos gladiolos
 detrahunt: tum zonis vestituque & caeteris militiae insignibus per
 vim ablati, nudos ad unum exauctoratosque dimisserunt. Non
 ferebat BUDAEUS vocem pretiosorem, substituebat durio-
 rem, intractabiliorem. Praeciosorem HALOANDER, HERALDUS tentabat
 speciosorem qua dictione, nullam sane posse hoc loco adhiberi
 affirmat commodiorem: speciosas quippe accipere debemus perso-
 nas clarissimas utriusque sexus L. 100. D. de V. S. i. e. etiam
 feminas quae maritorum dignitate illustrantur L. 1. D. de Senat.
 Verum quidem est, speciem pro dignitate Latinis quandoque
 accipi, propterea tamen huic loco non ita accommodari ac sibi
 persuasit HERALDUS, vocem posse, vel inde patet, quod hic
 loci (scil. in L. 100. D. de V. S.) de senatoribus tantum agi-
 tur, nam hi proprie Clarissimi vocabantur. L. 8. D. de Senat.
 L. 10. C. de nupt. L. 5. D. de curat. furios. L. 11. C. de dignit.
 Praeterea quod etiam gregarius miles omnibus a Juvenali ind.
 Sat. enarratis gaudebant privilegiis, qui tamen non admodum
 speciosus nec cum clarissimis comparandus. Non dubitat SAL-
 MASIUS suppositam hanc fuisse dictionem pro eo quod scripserat
 Author: ut se faceret adversario gratiosorem cui Asserto hoc
 praesidii invenisse putat: quod tempore Justiniani vox gratiosus
 non amplius eo sensu usurpata fuerit, quo purius eam Latini-
 tatis saeculum usurparit. Gratiosus is dictus fuit: qui in ma-
 jore erat gratia & favore: hinc missio gratiosa apud LIV. 43.
 (i. e. favore obtenta, nondum confecto legitimo XX. Annorum
 stipendiorum tempore) qui ita: & quorum ante emerita stipen-
 dia gratiosa missio sibi visa esset; hinc gratiosus qui gratia & fa-
 vore pollet apud aliquem, gratiosum apud Publicanos. CIC. II.
 in Verr. & II. splendidi homines & aliis Praetoribus gratiosi;
 Sed cum Codices obtent omnes, hanc SALMASII Lectionem
 eo minus improbare dubito, cum & causae nihil videam cur &

pre-

pretiosorem, defendi nequeat? cum enim dicimus hominem parvi, minini, nullius pretii, hic illo est pretiosior quo minus dici possit, quid impedit?

VIII.

Ad L. 5. §. 3. D. de extraord. cognit.

Consunitur (existimatio) quoties magna Capitis minutio intervenit, id est cum Libertas adimitur: veluti cum aqua & igni inter dicitur, quae in persona de portatorum venit, vel cum plebejus in opus metalli, vel in metallum datur &c. Deportatione igitur Libertas adimitur contra §. 2. J. de cap. dem. ubi: Minor (quae in h. L. 5. magna vocatur) seu media capitis deminutio est: cum civitas quidem amittitur, Libertas vero retinetur: quod accidit ei, cui aqua & igni interdictum fuerit: vel ei qui in insulam deportatus est & L. 1. §. 8. D. ad SCt. Tertill. Proinde sive quis ante delatam sive (post) delatam (scil. hereditatem) capite minuat, ad legitimam hereditatem admittetur, nisi magna (i. e. media) capitis deminutio interveniat, quae vel civitatem adimit, ut puta si deportetur.

Torsit & torquet etiamnum hujus Legis Lectio Eruditos, qui in tollendis citt. LL. Antinomiis maxime infudarunt, & quorum si operosos Labores atque ingeniose Inventa referre vellem, integer mihi super hac re Tractatus conscribendus foret. Relictis igitur omnibus illorum de h. L. perquisitionibus atque sententiis, ita censeo:

1.^o Quod magna comprehendat mediam & maximam, ut in L. 1. in fin. D. de usu, usu fr. & reditu L. 1. §. 2. D. de suis & legit. hered. junct. L. 1. §. 8. D. ad SCt. Tertyll. & quod dicit *Libertas* sit exemplum *maximae*, veluti vero *mediae*.

2.^o Distinguendum esse inter Libertatem Juris Gentium, & eam Juris Quiritium, quae Nulli competit nisi Civi romano. Hinc Tribubus omnibus moti, Libertatem dicebantur amittere, etiamsi haud fierent servi. Liv. L. 45. c. 15. & hinc intelligenda d. L. 5. §. 3. D. de extraord. cognit. aliqui docent, ubi media

dia

dia capitis deminutione & speciatim aquae & ignis interdictione Libertas amitti dicitur: quod de Libertate Juris Gentium falsum, de ea vero quae Juris Quiritium verissimum.

3.^o Cum aliis, CALLISTRATUM in *d. L.* ne de ejusmodi Libertate quae Juris est Quiritium, eo loci quidem somniasse, lubenter affirmaverim; cum non oratorie ut CICERO, sed proprie ament loqui Themidis Sacerdotes. Constat profecto vel ex ipsissimis *d. L.* verbis: CALLISTRATO, non eam quidem tunc animum fuisse tractandi quaestionem: an deportatione Libertas amittatur? sed tantum istam: quibus modis minui soleat aut consumi existimatio? quae est dignitatis illaesae status, legibus ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro, autoritate Legum minuitur aut consumitur. *d. L. 5. §. I. D. h. t.* Ac postquam de poenis priore in §. differuit, quae existimationem minuunt, modos in *d. §. fin.* quibus penitus evertatur subjicit: idque docet accidere: vel quando magna capitis deminutio intervenit, i. e. cum Libertas adimitur: vel (sic enim restituendum eum Locum vel ex §. anteriori facile evinci potest, ubi recenset ICTUS quibus modis existimatio minui soleat: quoties scil. manente Libertate circa statum dignitatis poena plectimur, sicuti cum relegatur quis, vel cum ordine movetur, vel cum prohibetur honoribus publicis fungi, vel cum plebejus fustibus caeditur, vel in opus publicum datur) cum aqua & igni interdicitur, quod in persona deportatorum evenit. Quae Lectio etiam ex his sequentibus verbis: vel cum Plebejus in opus metalli vel in metallum datur potest deduci.

IX.

Si Mercenarius, aliusve quicumque domesticas nobis officii aut artificii exhibendi causa locaverit operas, valetudine, aliave justa quavis de causa impeditus, praestare conventas non potuerit: quaerebatur: num & caducarum operarum nomine, salarium consequi eum & mercedem oporteat? Qua in re Interpretes nostri in diversas distrahuntur partes. Receptior equidem est sententia, ejus temporis, quo non essent operae exhibitae, tanquam earum quae non sint, nihil quidquam

quam mercedis deberi; Verum haec ex eorum numero mihi videtur, *ubi sub auctoritate juris scientiae perniciose erratur*, uti de quaestionibus de bono & aequo PAULLUS ait in L. 91. §. 3. D. *de Verb. Oblig.* Putaverim igitur humanius: iis qui Anno, ut fere fit, operas locassent suas, si quibusdam diebus valetudine, aliave justa quavis de causa praepediti fuerint, quo minus operas exhiberent, hos etiam dies in Anni ratione esse computandos, ac *servire* operasque praestare *intelligi etiam eos*, quos curamus aegros, qui *servire cupientes*, propter *adversam valetudinem impediuntur*; ut eleganter observat PAULLUS in L. 4. §. 5. D. *de Statu liberis.* arg. L. 19. §. 9. L. 38. pr. D. *Loc. Cond.*

X.

Ad L. 4. §. 1. C. de Adv. div. Judicium.

Verba Legis ita vulgo exhibentur: *Ideoq[ue] jubemus Viros clarissimos Fisci pro tempore patronos fori tuae Celsitudinis solenni die festivitatis Calendarum Januariarum ipsius tantummodo anni, per quem tale peragunt officium, inter Spectabiles sacri nostri Consistorii Comites, divina nostrae Serenitatis manu puncti consequi solatia.*

Quaesitum fuisse ab omnibus jur. civ. Interpretibus, quid sit illud *puncti solatium*? nemo ambigit. Eruditissimi etiam Viri (quos inter CUJACIUS, ut ipse docet 13. *Obs. c. 2.*) quos tortus & decepit varia hujus Loci Lectio ejusdemque male distinctus textus, in eo laborarunt; nescio tamen an expeditam adhuc invenerint hujus Legis expositionem? Neque enim ut CUJACIUS (qui quid sit *puncti solatium*? ignorare se cum fateretur) monet, *pacti solatia* reponendum, neque ut RAMIRETUS ad MARTIALEM L. 1. ep. 26. *solatia punctis consequi* i. e. suffragiis & communi consensu, ut ille vult, deputata, nec ex L. 3. §. 5. C. *pacti solatium*, vel *pacta solatia*, i. e. ut interpretatur GOTHOFREDUS ad h. L. punctum seu mercedem honoris, quandoquidem ea solatia non a conventionione, verum, ut Lex ista 4. manifestissime ostendit, a donis meraque dignatione & Liberalitate

Prin-

Principis, proficifcebantur: neque quod alii ariolabantur *puncti* i. e. manu Principis notati signatique, quibus Princeps solatia constituat, aut quod alii *puncta* i. e. solatia, quo sensu dicimus *appunctari*, cui solatium est constitutum, huc trahendi: nec quod alii putabant *solatia puncti*, oratorie pro *punctorum solatia*, admittendum: *Cel. BYNKERSHOEK I. O. c. 7. loco puncti substituit functi, i. e. functionis: quam Lectionem, Editionem Chevallonianam Paris. MDXXI. agnoscere observat: sed pace Viri suo jure summi, cujus magnam eruditionem, vastissimam Lectionis copiam & judicii ἀνοήθειαν merito miramur & summopere veneramur, hic monere nobis liceat: & haec paullo remotiora a nostra esse sententia, verioraque esse Lectionem quae habet puncti solatium. Cur autem puncti? an suffragii, approbationis, laudataeque virtutis praemium, ut aliquibus visum? an puncti solatia quod puncto illo tantum & momento Calend. Jan. aliorumque dierum in id solennium hae δὲνοποιεῖς procederent? ut sibi persuasit GOTHOFREDUS ad C. Theodos. putans: quia de momento temporis περὶ καιροῦ, punctum in L. 15. C. de Agricol. usurpatum esset, ergo & hic puncti solatium intelligi, quod eo die & momento temporis, donativum illud procederet. Quid vero illa verba significant, nullus Interpretum hactenus, ut equidem nobis videtur, ita enodavit aut exposuit ut nullum remaneat dubium. Putant Imperatorem voluisse: patronos, qui fisci in foro causas defendunt, Calend. Jan. inter Comites Consistoriales de manu Sua puncti, consequi solatia. Puncti enim vocabulum substantive hic loci non accipiendum, neque ad sequens solatia, sed ad ea quae praecedunt referendum, ut: puncti divina nostrae Serenitatis manu i. e. Imperatoris manu notati, certisque notis ceu singularis favoris indicio signati: punctum quippe pro suffragio & favore accipi ita notum esse, ut ulteriori assertionis probatione supersedere posse sibi persuadeant, quamvis ne quid dubii restet, suas adhuc in partes vocent JAC. GUTHERIUM de Off. dom. Ang. L. 3. c. 1. Verum, si haec admittenda esset interpretatio, scribendum fuisset punctos: quis enim unquam dixerit:*

rit : jubemus Viros clarissimos divina nostrae Serenitatis manu puncti, consequi solatia. CONSTANTINAEUS *subtil. Enodat. c. 4.* ad Principum Liberalitatem haec verba referenda docet, ubi qui Donativum consequerentur, pungebantur, i. e. expungebantur ex ordine; quem intellectum TERTULLIANO ICTO acceptum se ferre ingenue agnoscit, qui ita *de corona milit. proxime facta est Liberalitas praestantissimorum Principum, expungebantur in Castris milites laureati.* Solatia Imperatores adpellant comoda & salaria munerum ac militiarum, in L. 3. §. 6. C. h. t. L. 15. C. de Adv. div. judicior. L. 3. C. de agent. in reb. L. ult. C. de silentiar. L. 11. C. de prox. sacr. scrip. L. un. C. de Annon. § capit. pro compensatione fumitur solatium in L. 33. §. 3. D. de adm. § per. tut. L. 13. §. 1. D. commun. praed. L. ult. D. de litig. pro stipendio in L. 16. C. pr. de erog. militar. annonae. pro mercede L. fin. §. 3. C. de re mil. pro remuneratione, L. 7. C. de curs. publ. § angar. L. 2. C. de praed. Decur. pro largitate L. un. C. si Liberalit. Imperial. pro subsidio L. 10. C. de vectigal. In nostra itaque Lege 4. C. de Adv. div. Jud. PUNCTI SOLATIUM per Salarium seu Honorarium haud inepte interpretari putaverim, qua in sententia me haud parum confirmat Cl. DU CANGE GLOSS. voce *Punctum*, ubi docet: hanc vocem sequiori aevo hoc sensu fuisse usurpatam: ita in *Statutis Eccles. Valent.* dicitur: *quicumque Clericus beneficiatus, vel substitutus non adfuerit missae majori, perdat PUNCTUM omnium actuum & funeralium a meridie usque ad mediam noctem illius diei.*

XI.

Ad L. 9. C. de testibus.

Ait in ista Constitutione CONSTANTINUS M. *Jurisjurandi religione testes, priusquam perhibeant testimonium, jam dudum arctari praecipimus &c.* in interpretandis hisce Imperatoris verbis in diversas abiere Cl. ICTI sententias; nonnulli sibi persuaserunt, aliud nihil illum voluisse, nisi testes Jurejurando esse adstringendos, cum antea id non fuerit necesse atque injuratis etiam

etiam fides fuerit adhibita : alii vero, quos inter eminet magni Patris maximus filius JAC. GOTHOFREDUS, putarunt : CONSTANTINUM hac Lege sanxisse : testes jurejurando esse adstringendos *antequam* testimonium perhibeant, non post dictum demum testimonium, cum antea *indistincte*, ac pro lubitu, vel ante vel post depositionem, eos juramento adstringere licuerit. Cl. VAN DE WATER L. III. O. c. I. utraque displicet harum sententiarum ; & priorem quidem jure meritoque explodere nobis videtur, cum satis superque a Viris Eruditis, ex CICERONE, ASCON. PAEDIANO, VAL. MAXIMO aliisque, probatum sit : diu ante CONSTANTINUM testibus Jurisjurandi necessitatem fuisse impositam. Verum quod alteram rejicit, in eo sese nobis non satis probat, nec a nobis impetrare possumus, ut eam admittamus, quam comminiscitur emendationem, dum *jurisjurandi religionem* legendum, ac verbum *arctari* non ad *testes*, sed ad *jusjurandum* referendum esse contendit ; haec enim emendatio non solum otiosa, sed & notioni atque proprietati verborum, quibus hic usus est Imperator, contraria videtur, eo enim sensu, quo hic capiendam censet vocem *arctari* Cl. VAN DE WATER, neutiquam cum voce *religio* conjungi, ac *religionem jurisjurandi* esse arctandam dici posse videtur ; si CONSTANTINUS id voluisset quod Vir Cl. intendit, dixisset procul dubio *jusjurandum arctari praecipimus*. Nihil itaque in Lectione istius Legis immutandum censemus, cum, si juxta mentem GOTHOFREDI accipiat, planum omnino nec veterum moribus adversum exhibeat sensum.

XII.

Recte respondit STRYK *in suo jur. feud. Examine c. I. g. 27.* licere a simili, argumentum in jure feudali deducere ; Quod ita intelligendum : quando in casu aliquo subest par vel major rationis expressae identitas : ibi extendere casum ad similes, nihil aliud est : quam sequi implicitam Legislatoris voluntatem. Non enim id tantum in Lege comprehenditur, quod verba expressa dicunt, sed etiam illud, quod ex ratione & mente

Legis, per legitimam consequentiam profuit. v. ROSENTHAL
 c. 1. de feud. conel. 15. 16. & 17. Ita Lex excludens a feudali
 successione imperfectos quoad corpus, uti caecos, mutos, fur-
 dos, claudos, 2. F. 36. ex rationis identitate, recte porrigitur
 ad imperfectos quoad mentem i. e. furiosos, mente captos.

XIII.

Male quidam Jus Patronatus, *das Pfarrlehn*, ad feudum
 ecclesiasticum referunt, cum non revera in re ecclesiastica vi-
 deatur constitutum, sed cohaerere potius praediis Nobilium
 tanquam accessorium, quod sequitur naturam rei principalis
 §. 25. J. de R. D. L. 33. D. de aedil. edict. Neque ad rem facit,
 quod Papa in C. 3. X. de judiciis & C. 16. X. de jur. Patron. Jus
 Patronatus Causis spiritualibus accensuerit, fucum enim hic
 facere cogitavit Laicis, ne istud ad forum suum trahant.
 v. BÖHMER, de jur. eccles. L. 2. tit. 2. §. 15.

XIV.

An feudum praescriptione quaesitum proprium vocari
 possit? disputatum fuit a Juris feudalis Doctoribus. Affirmat
 STRYK in suo jur. feud. exam. c. II. §. 15. pro negativa pugnat
 cum BOCERO WURMSER. in Tr. de feud. improp. class. 3. sect. 2.
 mihi prior opinio videtur esse verior.

XV.

Tantum abest ut Domino, feudum a Vasallo, sine ejus
 consensu, alienatum, revocanti obstet praescriptio, ut eo ipso,
 quod feudum sine consensu Domini ejusque cum contentu alie-
 nat, id amittat & domino apertum faciat. 2. F. 24. in fin. 2. F.
 40. 42. 44. 52. & 55.

XVI.

XVI.

Utrum Contractus quidam feudalis peculiaris detur, ab omnibus aliis juris civilis contractibus distinctus? varie disputant Interpretes, quidam affirmant alii negant. Priorum sententiam praeferebam: quandoquidem nullum genus contractuum in jure civili, ut ego saltem censeo, reperitur, ad quod commode referri possit. An autem ea quae de divisionibus contractuum in nominatos & innominatos, bonae fidei & stricti juris, ex intimiori Romanorum Jurisprudencia, traduntur, ad feudale negotium applicari possint? merito dubitaveris. Quidquid hujus rei sit, istae si huc applicari debent juris civilis divisiones, existimamus cum STRUVIO *c. 8. th. 4. n. 2.* ad contractus nominatos, consensuales & bonae fidei referendum esse contractum feudalem.

XVII.

Ratio quam allegat STRYK. *L. cit. c. 12. §. 14.* cur Investitura valeat, licet Extraneus communi errore, tempore Investiturae, pro Pari Curiae habitus fuisset, mihi non videtur adaequata. Etenim non quaeritur an Tempus Investiturae aut tempus depositionis sit inspiciendum? Prius Tempus enim inspiciendum nemo negabit; sed quaeritur: an plus valeat quod tempore Investiturae fuit in opinione, quam quod fuerit in rei veritate? quod merito affirmandum, quia ratio in *Q. 9. ex 2. F. 58. §. 2. in fin.* alleg. quod nimirum Pares Curiae non praesumantur corrupti, etiam valet in illo qui pro Pari Curiae ex errore communi habetur, quia communis opinio veritatis vicem sustinet. v. GOTHOFER. *ad L. 1. C. de testam.*

XVIII.

Licet quidem jure civ. pacta de hereditate futura, vel paciscentium vel tertii non consentientis, *odiosa & plena tristissimi*

fini & periculosi eventus in *L. fin. C. de pact. & contra bonos mores* dicantur in *L. 29. in fin. D. de donat.* (adeo ut si ejusmodi de hereditate tertii pacifcentibus, postea hereditas illa delata fuerit, ea ipsis ut indignis auferatur & fisco vindicetur per *L. 29. §. ult. L. 36. D. de donat. L. 2. §. ult. D. de his quae ut indign.* quod ipsum adhuc hodie obtinere asserunt D.D. RICHT. P. I. D. 67. n. 4. STRYK. *diff. 8. de success. ab Int. c. 7. & in usu mod. D. sub tit. de pact. §. 14. & 15.*) & jure quoque Can. ejusmodi Concessionem Praebendarum rejiciantur per *C. 2. X. de concess. Praeb. & C. 2. & 3. eod. in 6to.* tamen, cum pactorum ejusmodi natura, mortis captandae per se non praebet occasionem, neque naturalis ratio ea praecise vetet, haec juris civilis circa haereditatem tertii prohibitio, non debet extendi ad concessionem *Expectativae* ut male quidam sibi persuaserunt, quippe quae fit ab eo, qui dominium directum *in re* habet, in casum futurae consolidationis, & quam consuetudine feudali receptam & approbatam esse nos docent textus *1. F. 3. 2. F. 26. §. moribus 2. F. 35. Conf. HORN. Jprud. feud. c. 16. §. 16.*

